2

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

COLICA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS YOUNGE,

ANGLUS,

Soc. Nat. Studiof. Praeses per Biennium;

Nec non

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

c

Viro eximio,

RICARDO MILNES,

Apud Chesterfield, in agro Derbiensi,

Medico prudenti,

Felici;

Nec non

Amico suo integerrimo,

JACOBO EDVARDO SMITH,

Societatis Regiae apud Anglos

Sodali;

Hanc Dissertationem,

Summae observantiae testimonium,

D. D. D.

GULIELMUS YOUNGE.

Mr Jeffray,
with respectful Complim.
& Sincere Esteem,
from his Friend,
& hble Servt,
W Younge

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

COLICA.

AB Hippocrate in genere omnes inteſtinorum dolores, teſtante Hoffmanno *, iliaci nominantur, nulla facta in monumentis ſuis doloris colici mentione. Attamen Celſus ait, 'Intra ipſa inteſtina conſiſtunt duo morbi, quorum unus in tenuiore, alter in pleniore eſt. A pleriſque video nunc illum priorem εἰλεον, hunc κολικον nominari †.' A ſeculo poſt Chriſtum primo, quo Celſus vixiſſe fertur, haec opinio invaluit; et etiamnum apud multos medicos accepta eſt, qui ſignis certis demonſtrare ſe poſſe putant, quaenam Ileum inter et Colicam interſit diſtinctio. Quandocunque, aiunt hujuſce opinionis ſectatores,

A

* Hoffman. Medicin. rational. ſect. II. cap. 5.

† Celſ. lib. IV. cap. 13.

fectatores, dolor acutus modo fupra umbilicum, modo fub umbilico moveatur, inteftinum Ileum laborat; quando Colon adficitur, vehemens fit inflatio, vehementes dolores, dextra magis parte, et inteftinum verti videtur*.

Multum equidem auditores fuos hortantur medicinam docentes, ut in cadaveribus variarum partium fitum nexumque notent adcuratè, quo in morbis dignofcendis optima habeant artis adminicula. Videamus igitur, fitu inteftinorum explorato, quaenam exinde profluant confectaria.

Aperto abdomine, in confpectum venit canalis, a ventriculo ufque ad anum longiffimo tractu productus, variis inflexus circumvolutionibus reflexufque, qui inteftinorum nomine vocatur. Haec autem, pro eorum diverfo volumine, in tenuia et craffa dividuntur. Totius canalis longitudo ipfo homine fexies major eft; ponamus fcilicet hominis altitudinem fex pedum effe, inteftina omnia fimul fumpta triginta fex circiter pedes exaequabunt. Exiguam tantum longitudinem emetiuntur inteftina craffa dicta; tenuia triginta pedes fibi vendicant. Inteftina vero, quum facie et ftructura inter fe difcrepent, utraque

* Celf. lib. IV. cap. 13.

traque denuo in tria alia partiri placuit anatomicis: Tenuia in Duodenum, Jejunum, et Ileum dirimuntur; craſſiora vocantur Caecum, Colon, et Rectum. Horum utriuſque ſitum, prout occaſio poſtulat, breviter expediam.

Orificium ventriculi inferius in dextra regione epigaſtrica haeret, ibique plica, fibris muſcularibus, textu celluloſo, tuniciſque nervea villoſaque conflata inſtruitur, quae pylorus adpellatur. Huic circumnatum incipit duodenum, a longitudine duodecim quaſi digitorum nominatum. Retrorſum primo et oblique dextrorſum deſcendendo, paullulum incurvatur, et ad collum uſque cyſtidis felleae pertingit: dein ad renem dextrum progreditur, et ad ſex circiter a pyloro digitos, prominente uno hiatu, choledochi pancreaticique ductuum oſcula recipit. Hinc denuo ante aortam et venam cavam tranſverſim et ſiniſtrorſum, pone pancreas et vaſa magna meſenterica, ſurſum excurrit; alioque flexu facto, ſiniſtroque rene ſalutato, deorſum vergit, et in jejunum terminatur. Jejunum autem, quod ſaepe vacuum conſpicitur, in dexteriorem partem converſum gyris incertis vehementer adeo implicatur, ut curſus nequeat ſcribendo illuſtrari; regionem umbilicalem circumvolutiones

ejus

ejus potiſſimum occupant. Qua vero jejuni finis cum ileo conjungitur, res ſat obſcura eſt: quamvis enim de colore ilei magis rubicundo, de plicis copioſioribus apud anatomicos diſſeratur, jejunum inter et ileum, ſub initio ſaltem, nullum intereſt diſcrimen; et illuſtriſſimus Hallerus ſub nomine inteſtini tenuis utrumque complectitur. Ileum canali ſubrotundo flexuoſo conſtat, qui jejuni ſinuoſa volumina a lateribus et ab inferiori parte obvolvit; attamen ſub umbilico praeſertim ſedem habet, et in regione iliaca, renem dextrum paullisper infra, inteſtinis craſſis adnectitur. Ileum autem in duo inteſtina hiat, ſi pro duobus diverſis caecum et colon jure habeantur. Caecum forſan rectius ſpectari poteſt, ceu inteſtini coli productio in ſaccum ampliorem expanſa. Ante ilei ingreſſum valvula Tulpiana pendet; ultima nempe pars tunicarum ilei villoſae nervoſaeque cum fibris muſcularibus producitur, et cum iiſdem coli tunicis fibriſque ea ratione conjungitur, ut valvulam duplicem, palpebrarum oculi inſtar, efformet; quae adpulſu materiarum ab ileo deſcendentium utrinque diducitur, niſu autem contrario facto aperturam ilei complanata ita claudit, ut rimam tantum tranſverſam referat. Inteſtini craſſi productio

caeca,

caeca, una cum inteftinulo fuo, five proceffu vermiformi, in regionem iliacam dextram porrecta offi ileo incumbit. Colon ipfum fupra renem dextrum continuo ductu adfcendens hepati fubjicitur; hinc tranfverfim fub ventriculo ad hypochondrium finiftrum fefe confert, lieni appropinquatur, et in receffu fub ipfis coftis finiftris profundo in fe varie contorquetur; defcendit iterum reni finiftro incumbens, et in regionem iliacam finiftram deorfum prolabitur, ubi flexu majori facto in inteftinum rectum definit. Hoc autem, ad vertebram lumborum ultimam exortum, deorfum nonnihil et antrorfum vergit, atque in cute tandem orificio proprio terminatur *.

Hic eft, qui in plerifque cadaveribus obfervatur, inteftinorum fitus: Neque enim in abdomine laxa volvuntur, prout mutato corporis fitu fors ferat; fed ipfis abdominis parietibus, vifceribus aliis, et inter fe, mediante peritonaeo, firmiter adnectuntur; quippe varias productiones et duplicaturas nobilis haecce membrana profert, quae inteftinorum ftabilitatem cum mobilitate fervant.

* Haller. prim. lin. phyfiol. Leber. praelect. anatom. Morgagnii adverfar.

ſervant. Interdum vero ſitus aliquantulum mutatur; ligamenta enim a peritonaeo ducta vel numero et figura varient, vel laxata remittantur, vel facies eorum adnatae cohaereant. Hanc degenerem fabricam ſectio cadaverum abunde exhibet, praeſertim in colo, quod interdum, inteſtinis tenuibus detruſis, umbilico ipſi adcumbit; interdum ſupra jecur, ventriculum, ac lienem decurrit; imo cartilaginibus coſtarum ſpuriarum ac mucronata cartilagine tectum aliarum potius morbos refert quam ſuos *.

Situ itaque jam breviter enarrato, (nolo enim oratione longa lectorem delaſſare,) annon adfirmare licet, a loco, cui dolor aegro ineſſe videtur, incerta admodum de ſede morbi ferri poſſe judicia? Hanc ſane ſententiam confirmavit hominum ileo, ut viſum erat, denatorum ſectio anatomica: In his enim Williſius, De Haën, et alii probatae fidei autores, morbi cauſam in colo latentem animadverterunt. Imo, ut praeclara Morgagnii verba adjungam, ‘ qui plura inciderunt aut inſpexerunt cadavera, hi ſaltem, cum alii minime dubitant, ipſi dubitare didicerunt.’ Porro ſigna, quae Colicam et Ileum faciunt, eadem

* De Häen Rat. Med. Vol. III. 450. Morgagn. Adv. Anat. 3. Animadv. 13.

dem ſunt; niſi quod in illa leviora ſint, in hoc autem, ingraveſcente morbo, cuncta exacerbentur, vel etiam nova quaedam, pro morbi duratione, ſuperveniant. Denique, eaedem ſunt in utroque morbo medendi viae. Non poſſum igitur quin ſub eodem capite Colicam Ileumque complectar; ſcilicet hoc docent Cauſae mali, hoc confirmat Anatomia, hoc ſuadent Signa morbi praeſentis, hoc jubet Methodus medendi feliciſſime inſtituta.

DEFINITIO.

Ut vero clarius innoteſcat quid id ſit de quo differatur, a definitione exordiar. Colica autem dicitur, quandocunque adſint

Dolor abdominis, praecipue circa umbilicum torquens; nauſea; vomitus; alvus adſtricta.

SIGNORUM

SIGNORUM ENARRATIO, SIVE MORBI HISTORIA.

PRIMO quidem abdomini toti quafi ponderis fenfus ineft, quem dolor obtufus vel fimul comitatur, vel cito excipit. Hic autem alicui parti vix jam referendus eft, fed aegrum tantummodo gravat, cum magna faepe defidendi cupiditate, conatu tamen omni irrito. Paulatim dolor exaugetur; interdum graviffimus cruciatus per totum abdomen, praecipue circa dorfum, verfatur; juxta renes etiam, itemque fupra infraque umbilicum divagatur, ventris modo dextram modo finiftram partes occupans, varius omnino et inftabilis; interdum etiam flatus quodam veluti rugitu intus obmurmurant, arcte tamen conclufi neque ore neque alvo erumpunt. Eft autem ubi dolor in uno loco ita ftabilis haeret, ut terebello quafi pertundi videatur; unde dolor appellatur terebrans. Saepe vero aeger de inteftini partis cujufdam dolore queritur, ac fi arcte filo circumducto conftricta effet, vel pondere graviori fuperimpofito premeretur.

Mufculi

Musculi abdominales spasmo plerumque convelluntur; at, licet varias partes adficiat, praecipue tamen circa umbilicum cum ejusdem retractione torquet. Musculorum portiones carneae in cumulos duros, subrotundos, circumscriptos, durante spasmo, colliguntur; et valide adeo revelluntur hypochondria, ut costarum notharum cartilagines integumenta sua protendant.

De consensu ventriculi cum variis, imo fere omnibus, corporis partibus multum disceptarunt autores; cum intestinis autem, quae eadem structura gaudent, et vix nisi ejusdem canalis continuatio sunt, (uti in ranis et aliis quibusdam animalibus videre est,) hic consensus imprimis obtinet. Fere semper igitur, ingruente morbo, anxietas praecordiorum, cum eructatione, cardialgia, nausea, et stomachi vellicatione, praesto est. Sumpto autem, ex materia vel solida vel fluida confecto, cibo multum exaugetur, et statim fere post deglutitionem vomitus fit, utut obnitatur et comprimere conetur aeger. Inquietudo tamen, nauseae semper comes, non, ut saepius accidit, evacuato stomacho sublevatur, sed perstante morbo ingravescit.

In hoc morbi ſtadio, tactum digiti ventrem prementis aeger perferre poteſt, et exinde levamen aliquod interdum ſuboriri putat; alias autem, praecipue quando vires majores morbus adquiſiverit, aucta ventris ſenſilitate torquetur, tactumque refugit: compreſſa autem regione umbilicali, crudeliſſimi inde naſcuntur cruciatus. Jam vero, dolore ventris et ſpaſmo muſculos ejus convellente auctis, erectus ſtare neſcit; at, ſi pedibus inſiſtere velit, antrorſum flectitur; hunc tamen corporis ſitum aegre ferens, ſupinus jacere geſtit, capite in pulvinar elevato, ac genubus ventrem verſus ſublatis.

Pulſus, ineunte morbo, parum mutatur; interdum aliquanto frequentior, perraro fit validior; arteria vero parva ac compreſſa motu inaequali perſaepe micat. Reſpirandi difficultas adeſt, aucto ſcilicet abdominis ſub inſpiratione plena dolore, et motu facili diaphragmatis impedito; invaleſcit etiam, prout in abdomine dolores fiunt vehementiores. Spiritus frequenter male olet. Os et lingua prae ſiti areſcunt, vel humore glutinoſo obducuntur; hic quoque dentium collo inhaeret, etiamſi coronae illorum perſaepe laeves admodum et vitreae quaſi conſpiciantur. Poſt vomitionem pluries iteratam, ſubamarus quidam

et

et moleſtus in ore ſapor percipitur, atque materia flava aut porracea inter vomendum copioſe ejicitur.

Symptomata graviſſima jam memorata interdum remittuntur; ſed paullum temporis tantummodo levamen perſtat, dolore iterum auctis viribus redeunte. Quid mirum igitur ſi noctes dieſque aeger inſomnis agat!

Vigiliis autem diutius productis, anxietate perpetua, et inopia cibi, corpus admodum debilitatur; quin inſignis animi dejectio eſt cum moerore et ſuſpirio. Malae palleſcunt et extenuantur; oculi fiunt concavi, et circulo livido circumdantur: Imo totius fere corporis cutis arida colore plumbeo, vel interdum ſubluteo, icterode, tincta videtur. Urina fere ſemper parca eſt, et frequenter ad eam excernendam aeger incitatur: Excreta rubet, et inter mingendum acredine ſua urethram urit. Pulſus fiunt frequentiores; omnis cibi appetentia perit; et, fracto penitus robore, aeger vix ſeſe ſuſtinendo eſt, vel membra movere valet; oculis vero ſemiclauſis ſupinus jacet, niſi quando ad ſaeviora mala excitetur. Abdomen equidem minus ſpaſmis convellitur, magis tamen intumeſcit, plerumque a tactu vel leviſſimo abhorrens. Singultus

gultus adeſt. Subinde vomitus, praecipue poſt alimentum quodvis aſſumptum, intentatur, et, proh dolor! faeces ipſae ore evomuntur.

Pulſus jam frequentiſſimi, exiles, interdum parvitate vix percipiendi; ſubſultant tendines; ſudores largi, gelidi, frontem, collum, totumque demum corpus, perfundunt. Aliquando, periculi jam inſtantis praeſaga, delirium mite et frequens animi deliquium ſuperveniunt. Denique, vel cruciatus, convulſione conſecuta, intenduntur, vel dolor ſubito evaneſcit; alvus funditur; extrema frigent; ungues curvi liveſcunt; digiti contrahuntur; aures et labia frigent; exacuuntur nares; tempora collabuntur; et mors tandem obrepit, miſeriarum optata finis.

Ita fere ut plurimum morbus progreditur, quando nulla cunque medicamenta propinata ſint, vel, quod eodem redit, quando docta plus valeat arte malum, et omnia, licet praeſtantiſſima, medicamenta fruſtra in uſum trahantur. Nihil ad levamen aegri facit, niſi quod motum inteſtinorum idoneum excitando adeo inſerviat, ut deorſum expellatur materia alimentorum effoeta. Quandocunque vel ſponte vel coacta moveatur alvus, faeces copioſae in globulos ſubrotundos, faecum inſtar ovillarum, fictae dejiciuntur,

tur, (parte earum liquidissima vasis bibulis resorpta,) vel liquidae prodeunt, multo simul emisso flatu. Ventris dolores ac spasmi continuo mitescunt; nausea et vomitus sublevantur; pulsus fit plenior, blandusque coepit profundi sudor. Æger, vigiliis jamdiu defatigatus, iterum somno se totum tradit; novas sumit inde vires; et iis methodis, quae aegrotanti profuerant, diutius aliquantulum insistendo, ad sanitatem pristinam vix non restituitur, et fit ad omnia vitae munia alacris atque vegetus.

Morbus plerumque mitior intra paucos dies terminatur; gravior interdum ad dies usque viginti producitur, vix ulla interposita remissione.

EXTISPICIA.

QUANTUM ad veram pathologiam faciat cadaverum inspectio, eorum praecipue, quorum morbi, dum viverent, attente considerati fuerant, quisque in re medica vel minimum versatus novit: Hic igitur haud absonum erit notare, quaenam

nam exta rimantibus obvenerint. Anatomici vero non unum, ſed omnia inteſtina, in hoc morbo depravari poſſe docent; et mutationes, quas invenerint, adeo ſunt inſignes, ut pares aliquis haud facile vel ingenio fingat.

Inteſtina diametro ſuo praecipue aucta videre contigit; attamen mole adeo inaequali diſtenta, ut in aliis, duabus puta, partibus omnis inteſtini cavitas fere prorſum deleretur; partis autem interpoſiti intumeſcentia, a faecibus flatuque collectis, humerum vel femur ipſum amplitudine exaequaret. Interdum una tantum viſa eſt anguſtia, quaſi arcte circumducta filo; paullo ſuperius autem inteſtini portio, in immenſam molem dilatata, ſtomachum ipſum vel inteſtina alia comprimebat. Nonnunquam in tortuoſa volumina inteſtina convoluta ſunt, ſingulis gyris faecibus oppletis; anguli autem, qui exinde fiunt frequentiores, prorſus vacui contractique ſe diſtendi vetant; hujuſmodi flexus duodecim in demortui cujuſdam colo vidit De Haën *.

In cadaveribus hominum hoc morbo denatorum, partis unius inteſtini in aliam ſubingreſſum medici ſubinde obſervarunt. In iis autem, qui acu-

* Rat. Med. Vol. I. p. 87. Vol. III. p. 375.

acutiſſimis doloribus vexati pereunt, alia notatu digna conſpiciuntur; etenim ad omnes inteſtini reduplicationes inflammatio levior quandoque detegitur; atque materies inflammatoria ſanguinis transfluendo cruſtam gignit, qua illae inteſtini reduplicationes ſecum mutuo agglutinantur *. Interdum ileum et colon, morboſo flexu contigua, arcte coaleſcunt †.

CAUSA PROXIMA.

A ſignis jam relatis, necnon cadaverum inſpectione, cauſa proxima, ſive morbi natura, pateſcit: ‘ Eſt partis alicujus inteſtinorum contractio abnormis, ſpaſtica.’ Hanc eo magis pro cauſa agnoſcere volo, quod Peyerus, illuſtris Anatomicus, experimento in rana viva inſtituto illam pleniſſime comprobavit. Hujuſce experimenti hiſtoriam eleganter adeo et accurate tradit, ut non dubitem ipſius verba proferre.

‘ Torminum geneſin, atque introſuſceptionis conceptionem, anni ſuperioris aeſtate, ranae jucundo

* De Haën Rat. Med.

† Lieutaud Hiſt. Anat. Vol. I. p. 101.

cundo admodum et utili experimento oculis noſtris exhibuerunt. Etenim inteſtina, vivente amphibio, laceſſita in diverſis locis, pertinaciſſime mox ſe conſtringebant, contentis violenter ſurſum deorſumque, qua data porta, protruſis, atque hinc inde in cumulos quaſi congeſtis: Unde quaedam inteſtini portiones valde impletae ac turgidae, quaedam prorſus inanes et arctiſſime clauſae perſtiterunt; donec, ſoluta fibrarum ſtrictura, meatus liberior redderetur: Inteſtinis autem hinc inde ſe conſtringentibus, et ſive chylum, ſive faeces, ſurſum deorſumve projicientibus, factum, ut illae alicubi in molem adgeſtae parietes inteſtini plus debito ampliarent; quod in ſacci morem dilatatum intra ſe recepit conſtrictam inferioris inteſtini portionem, eamque ſinu ſuo abſconditam aliquandiu retinuit: Donec, fibris ſe denuo exporrigentibus, inteſtinum, e latibulo alterius, in apricam priſtinamque ſedem rediret.'

Hoc experimento quid pulchrius excogitari poteſt? Quo propius ſtes, te capiet magis. Fateor equidem viros ſummae in phyſicis autoritatis in graviſſimos errores incidiſſe, dum experimentis, in aliis animalibus inſtitutis, de phyſiologia humana ratiocinia ſua ſtabilire conarentur.

In

In his scilicet Natura mira varietate ludit, et ad propria munia rite perficienda dotibus suis propriis quodque forsan animal instruitur. Motus tamen, de quo nunc loquor, vermicularis, in uniuscujusque * intestinis observatur, modo cauta fiat inquisitio, alimenta vi iterata deorsum urgens. Ergo experimentum Peyerianum multum ad rem facit, Colicaeque naturam egregie illustrat.

Neque tantum ab analogia pendet causa jam relata, verum eadem quoque in hominibus animadversa est. Spasmodicae partium constrictiones plerumque a morte solvuntur; non raro permanent; hasce autem in hominum Colica extinctorum intestinis nondum solutas medicis vidisse contigit. 'Novimus quoque, inquit De Haën, manere quandoque perpetuo has contractiones, tetani in modum, in vita hominum; a morte autem vel solvi, ut aliis in tetanis vidimus, vel pertinaciter permanere, ut alias biduo triduoque a morte plus semel observavimus †.'

Haecce causa aptam signorum rationem praebere videtur; neque singula iterum sigillatim repetam

* Haller. Elem. Physiol. Vol. VII. p. 77. 81. &c.

† Rat. Med. Vol. III. p. 186. Vid. quoque Act. Philosoph. Angl. n. 476. citat. ab Haller. in Elem. Physiol. Vol. VII. p. 78.

repetam necesse est; de duobus tantum fusius differere fert animus.

Vomitus autem initio biliosus, progressu faeculentus, imprimis adcuratius notari debet; etenim habita cum structurae partium anatomicae, tum motus intestinorum naturalis, ratione, non possumus non mirari, unde aliquid insoliti adeo evenire possit. A natura sane cautum esse videtur, ut cibus (qui intestinis stimulo idoneo est) a ventriculo descendens, superiorem duodeni partem irritet; haec contractione sua in partem inferiorem relaxatam cibum deorsum promoveat; intestina autem alia tenuia tum se adstringendo, tum relaxando, in intestina crassa tandem materiam depellant. Novimus autem, et a signis morborum qui hunc canalem infestant, et ab experimentis ad hanc rem probandam institutis, motum vermicularem adeo immutari posse, ut omnia alimenta sursum retro ferantur. In canali adeo flexuoso nihil huic motui pondus obstat; deorsum sane natura fertur; si vero descendenti cibo obex aliquis resistat, et ulterius progredi non detur, erit ibi sedes praecipuae contractionis, et cibus relecta tota intestinorum longitudine ad ventriculum ipsum reduci, et hujusce actiones abnormes ciere, possit. In Colica ita se res habet,

bet,

bet, et exinde bilis ipſa cum alimentis in ventriculum relatis vomitione rejicitur.

De faecibus autem ore rejectis apud medicos permagna eſt diſſenſio, quam valvulae dictae Tulpianae contemplatio movet; haec enim, ut modo dixi, prorſus impedire videtur, ne ex colo quidquam in ileum remeet. Morgagnius, quem veri amantiſſimum veneramur, dubitat, anne unquam ii, qui ſtercus vomere creduntur, faeces a colo remeantes evomant; ſed materiam potius ſtercori ſimilem eſſe putat, qualem in iis, quibus ileum intra hernias arctiſſime compreſſum, atque adeo prorſus occluſum, ſupra occluſionis locum obſervare conſueverat *. Swietenius contra non modo faeces ipſas a colo, ſed etiam clyſmata a recto remeaſſe adfirmat; ‘ etenim, inquit, probatiſſimi autores hoc obſervarunt, et ipſe manifeſte vidi †.’ Ego ſane facile adducor ut credam materiam, non modo ſtercori ſimilem, verum ipſam ſtercoraceam, per os rejici, etſi a colo ne minimum quidem revehatur. Cuncta alimenta, poſtquam in ventriculo rite ſubacta fuerint, inteſtinis exhaurienda traduntur. In his

* Morgagn. Adverſ. Anatom. III. Animadv. 9.

† Van Swieten. Comment. in Boerh. Aphor. 960.

his paullatim defcendendo mutantur, et tandem, toto inteftinorum tenuium peragrato tractu, fuccoque alimentario vafis bibulis reforpto, in materiam effoetam, five faeces convertuntur, antequam in craffa depellantur *. Si igitur in ipfo ileo ftercus adfit, in leviori malo hoc tantum evomi poffe putem. Quandocunque vero morbus vires majores adquifiverit, vel in ipfo colo morbi caufa lateat, nullus dubito quin faeces, mutato curfu, in inteftina tenuia furfum ferantur.

Ad hanc rem dijudicandam experimenta in canibus inftituit Halefius. Elutis primo faecibus, in rectum inferebatur inftrumentum idoneum, tubus fcilicet productior, cui ad altitudinem quinque pedum infundebatur aqua. Tum demum animadvertit aquam in inteftina tenuia per valvulam Tulpianam guttatim illabi. Haecce tanti viri, qui vana dixiffe vix credatur, experimenta laudare nequeo: 1mo enim, Inteftinum colon in canibus et aliis quibufdam animalibus non eadem, ac in homine, ftructura gaudet †, et

* Inveni aliquoties fcybala pauca, alia vice ftercus liquidum copiofius: Kalfchmidius vero ad ulnae a colo diftantiam ufque repletum ileum. De Haën Rat. Med. Vol. II. p. 303.

† Morgagn. Adverf. Anat. 3.

et fibrae mufculares rariores valvulae orificium forfan minus arcte claudunt: 2do, In mortuis omnia flaccidiora fiunt; ergo haud apte quivis dixerit in homine vivo eadem fieri debere: 3tio, Inteftinis aqua ablutis plurima mutantur: jamdudum Albinus, et De Haën Albinum imitatus, valvulam fine adparente partium laefione, fed modo nimia mundatione praeparatam, fere totam difparuiffe docuerunt *: Denique, ab hifce experimentis non ratio patet, qua celeriter adeó, poftquam in anum injecta fuerint, ore iterum enemata reddantur.

Hac igitur praetermiffa, alia methodus quaerenda eft; hanc autem, ni fallor, praemonftrat cadaverum infpectio; inteftinis enim faecibus flatuque ultra quam fatis eft diftentis, valvula officio fuo fungendo impar evadit †. Hinc illa lachrymabilia figna, quae in hiftoria morbi fufius enumerantur.

Color cutis icterodes colicae tantummodo graviori fubeffe videtur, et ab ingreffu bilis in

* De Haën Rat. Med. Vol. I. p. 89.

† Haguenot Diff. de vomitu faeculento in paffione iliaca, Monfpel. 1715. p. 60. De Haën Rat. Medend. Vol. I. p. 90. Vol. II. p. 304.

in duodenum impedito pendet. Ductus choledochus oblique ſpatium quoddam inter tunicas ejus extimam et muſcularem ante emetitur, quam in inteſtini cavum hiet; fibrarum itaque muſcularium duodeni contractio validior ductum quoque comprimat neceſſe eſt, unde, exitu deſcendenti bili denegato, icterus oriatur. Quinetiam ductus ipſe ſpaſmo torquetur. Hanc icteri cauſam viri in re anatomica verſatiſſimi plane negant, quia ſcilicet tunica muſcularis neque ſcalpello neque arte ulla demonſtrari poteſt. Attamen (pace tantorum virorum dixerim) ex eo, quod fibrae non conſpiciantur, nefas eſt colligere eaſdem non adeſſe; etenim muſculari ſaltem contractilitate ductum gaudere plurima exempla probant, et ab hujuſmodi actione ſpaſtica vel in ipſa colica ortum fuiſſe icterum certior ab amico quodam factus ſum. Homo, per quatriduum violentiſſima colica vexatus, periit; biduo vero ante mortem icterus ſupervenerat. Aperto cadavere, quo cauſa mali in aprico eſſet, ductus choledochus, etiam poſt mortem, ſpaſmo validiori contractus inveniebatur.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

QUONIAM Medicorum eſt non tantum morbos tollere praeſentes, verum etiam advenientes praecavere poſſe, ergo illorum maxime intereſt noviſſe, unde fiat ad varios quoſcunque morbos opportunitas.

Habita autem aliorum morborum, qui ſpaſmodici nominantur, ratione, vel 'a priori' expectandum eſſet illos praecipue colicam quoque vexaturam, qui fibrarum muſcularium mobilitate nimia tremiſcunt, non qui ſano vigore pollent. Hanc ſententiam experientia fida confirmat. Infantuli enim, maxima mobilitate praediti, dolore hoc atroci ſaepiſſime enecti pereunt. Pueris valde familiaris eſt et frequens colica. Mulieres magis ſunt, quam viri, ad hunc morbum proclives; et ex his ii praecipue plectuntur, qui luxurioſi, deſides, otio tantum ſtudent, neque exercitio idoneo corpus firmare laborant. Quippe vita otioſa ventriculus et inteſtina plurimum infirmantur, quod clare evincunt ructus flatuſque huc illuc divagantes. Quaecunque hanc cor-

corporis mobilitatem augent, ad morbum opportunitati favent; itaque calor nimius (uti in regionibus calidioribus aeſtivo tempore videre eſt) vel morbum inducendo eſt, vel praeſentem intentat. Feminae forſan ideo fiunt ad colicam opportuniores, quod in conclavi calidiori degentes liquores tepidos uſque pitiſſent. Quaenam ſit illa fibrarum muſcularium conditio, e qua mobilitas pendet, ignarum memet plane fateor; neque enim de actione ſana quidvis certi compertum eſt. Sufficiat igitur dixiſſe, quae mobilitatem faciant quaeve tollant.

Quinetiam alia eſt conditio ad hunc morbum opportunitatem gignens. Illam volo alvi tarditatem, quae vel ſponte fit, vel conſuetudine mala inducitur. Hac ipſa praediſponente cauſa ultra modum aucta, vel tandem cauſa excitante ſeſe adjungente, colica conſtituitur. Inteſtina enim, diſtenſione ſaepius iterata, (dum forſan vivendi modus corpus debilitet,) contenta ſua vix ultra propellere poſſunt. Creſcit in immenſum moles, alias inteſtinorum partes comprimit, et fit ipſa pertinaciſſima cauſa mali. Hinc hypochondriacis, quibus alvus plerumque tarda eſt, dolor inteſtinorum familiaris.

Caufis quoque praedifponentibus adnumeranda eft partis alicujus inteftinorum praeter naturae modum anguftatio. Haec interdum, nullo morbi praeeunte figno, gradatim fupervenit; interdum alium morbum, uti inflammationem inteftini male curatam *, excipit. Pars autem anguftior facta haud abfque infigni difficultate alimentorum maffam tranfmittit, quod ab anxietate fubinde redeunte patet. Nonnulli quidem hujufmodi anguftationem per fat longum vitae decurfum intra fe gerunt, neque aliquid omnino incommodi patiuntur. Neque tamen ideo dubitandum eft, quin admota caufa excitante, graviffimae inde nafcantur Colicae paffiones.

Eft alia anguftatio fpuria dicenda (quod inteftinum ipfum haud primario coarctatur, fed cavum ejus materie quadam extranea oppletur,) quam inter caufas Colicae remotas autores recenfuerunt. Hanc plerumque faciunt concretiones quaedam tophaceae, quas fe multoties vidiffe teftantur Fernelius, Horftius, et alii medici illuftres. His fere femper nucleus ineft, cui plerumque circumcirca colliguntur ramenta ci-

D borum,

* De la Peyronie, Act. Acad. Chir. Paris. tom. I. De Haën Rat. Med. Vol. I. p. 87. 88. Vol. II. p. 315.

borum, et crusta tartarea sublaevis obducitur. Pro nucleo saepe sunt prunorum vel cerasorum officula, aut agnorum gallinarumve pedum ossa parvula, deglutita. Quorum in intestinis haec morbi causa, digitis saepe exquirenda, latet, illos quandoque, dum concretio parva est, dolor subito aggreditur, subitoque iterum evanescit; interdum post ingentes dolores calculi hujusmodi, ovi gallinacei magnitudinem exsuperantes, ejecti sunt *. Si diutius intus haereant, dolor saepius iteratur, ingravescit, lethumque demum adfert. Nulla enim adhuc excogitata est methodus, qua vel in canali alimentario calculosae concretiones solvantur.

Hae praecipuae sunt causae, quae ad morbum opportunitatem gignunt. Saepe vero iis, quibus nulla cunque fuerit opportunitatis suspicio, modo causae excitantes vi majori admoveantur, Colica nascitur. Has igitur proxime recensere placet.

CAUSAE

* Act. Societ. Philos. Edin. Vol. II. p. 345.

CAUSAE EXCITANTES.

PERPENSIS autem variis, quae ad corpus vel alendum vel grate adficiendum adſumuntur, cibariis, ab iis praecipue, qui, aurea mediocritate ſpreta, parvo vivere neſciunt, ſed per terras, tractuſque maris, coelumque profundum, quaerunt quod gulae placeat, quam variae ſint hujuſce morbi cauſae excitantes, facile patebit. Has tamen omnes fere duo capita compleċtuntur.

1mo, Cibi copia nimia adſumpti nocent. Helluo, qui aſſis elixa miſcet, et languentem ſtomachum condimentis iterum ad ingluviem provocat, aut coena dubia adlicere ſatagit, ille, inquam, poenas criminis haud raro pendit. Tanto oneri digerendo ventriculus impar evadit, et copia cruda in inteſtina propellitur; ingeſta ſpontaneas ſuas ſubeunt mutationes, eaſque varias pro varia adſumptorum indole; materia acris inteſtina rodit, et ſpaſmos movendo morbum facit. Alii, helluones minime adpellandi, qui nimia copia incauti peccant, aeque plectuntur. Ipſe novi hominem, qui gratiſſima aurantiorum dulcedine

cedine captus, duodenorum ſimul ſuccum combiberit. Attamen poſt gaudia luctus; exinde enim colica, graviſſimis torminibus ſtipata, nata eſt, e qua, vel peritiſſimo adſidente medico, vix ſalvus evaſerit.

2do, Praeter copiam, cibaria etiam indole peccare poſſunt, iis praecipue, qui ad morbum de quo agitur opportuni ſint, nocentiſſima. Colicam melonum atque cucumerum eſu ſolo ortam fuiſſe multi dicunt. Legumina omnia, uti fabae ac lentes, quippe quae, referente Haleſio, aërem plurimum in ſe continent, et difficillime concoquuntur, nocent. Olera, praeſertim braſſica, inteſtinis ſaepe faſtidia movent; interdum quoque ſaccharata, quae fermentationi favent, fructuum horaeorum ingurgitatio, vel potus non defaecati. Semina, cerealia dicta, praeſertim ſi male fermentata adhibeantur, inteſtinorum ſpaſmos haud raro inducunt; panem quoque ex iiſdem confectum, butyro ſtatim atque e furno educatur illitum, dolores colicos, ſi largius adſumatur, ciere poſſe novi. Dura omnia atque indigeſtilia, uti caſeus ad ignem toſtus, caro fumo indurata, ſalſamenta, et alia hujuſmodi, homines, quorum ventriculus (ut ita dicam) caco-

chymia laborat, valde ſollicitant. Tantundem valet in infantibus lac acore nimio coagulatum.

Sunt autem, quibus proprium eſt variis, qui vulgo innoxii habentur, cibis male adfici; ideoque colicam ſaepenumero graviſſimam intulerunt mytilus edulis, et agaricus campeſtris Linnaei.

Cauſae, quas jam memoravi, morbum ſaepe non gignunt, vel quia res aliae ſimul adſumptae damna earum reſarciant, vel quod inteſtina ſatis lubrica, motu eorum naturali aucto, illas cito demittant. Sin alvus adeo adſtricta ſit, ut in inteſtinis nimium retardentur, vix non fieri poteſt quin ſpaſmos tandem cieant.

Colicam quoque in pueris excitare dicuntur vermes in inteſtinis convoluti. Forſan animi pathemata, uti ira vel moeſtitia, non plane negligenda ſunt, ob impeditam inde juſtam concoctionem. Carolus Piſo refert * ſemet ipſum ſaeviente Borea immanibus coli doloribus ſemper fuiſſe vexatum; neque dubitandum, quin frigus pedibus adplicatum colicam aliquoties intulerit †. Herniam, quatenus alvum conſtipat, irritat, et inflam-

* Piſ. de feroſ. colluv. lib. II.

† Vid. De Haën Rat. Med. Vol. II.

inflammationem tandem excitat, colicae gravissimae causam esse varii adserunt autores *.

DIAGNOSIS.

AD diagnosin tandem progredior. Habita autem situs intestinorum naturalis mutatique, quem olim breviter descripserim, ratione, haud facile a dolore solo diagnosin quivis instituat. Intestina sese multis in locis superscandunt; colon praecipue tantum variat et situ et magnitudine, ut facile inde colligatur colicam vel nephralgiam, vel hepatis lienisve inflammationem, vel etiam ipsius lateris dolorem, mentiri posse, si ex solo loco adfecto quis judicet. Diagnosis igitur instituenda

* De colica Pictaviensi, utpote quae signis quibusdam sibi propriis, (nempe tuberibus in metacarpo, et in paralysin terminatione,) a colica vera admodum diversa est, atque ipsa non nisi dissertatione productiori dicenda, nihil prorsus enarrare volo: Colicam arthriticam, quam Pictaviensi simillimam descripsit Strack, haud unquam me vidisse memini; nolo itaque de illa fusius disserere; lector benevolus adeat ipsius de colica arthritica dissertationem.

tuenda eſt ſedula ſignorum obſervatione, prout in ſingulis morbis vel ſimul adſint, vel ſeſe excipiant *.

Colicam inter et Nephralgiam diagnoſis haud difficilis eſt. In hac dolor regioni lumbari vel ſtabilis inhaereſcit, aculei infixi more pungens, vel ureteris iter ſequens oblique veſicam verſus extenditur, et in viris ad teſtem proximum excurrit, cum ejuſdem retractione dolorifica. Crus, quod e directo eſt adfecti renis, vel dolore ſtringitur, vel inſenſile obtorpeſcit. Urinae reddendae cupiditas crebrior eſt quam in colica: et quod inde excernitur plerumque pallidum eſt; interdum quaſi arenam, interdum quaſi ſanguinem, trahit. Hic quoque noſtra noviſſe intereſt, anne olim aeger calculo vexatus fuerit; ſi enim arenulas antea dejicere conſueverit, nephralgia recidiva metuenda eſt. In colica vomitio magis urget, ob majorem forſan coli cum ventriculo continuitatem, atque alvus magis adſtricta eſt; haec autem ſoluta colicam multo magis quam nephralgiam levare ſolet. A paſtu colicus dolor augetur; nephriticus autem poſt liquoris blandi adſumptionem ut plurimum potius miteſcit. Hepatitidem

* Ill. Cullen. Prim. Lin. Vol. I. § 2.

patitidem a colica diſtinguunt tuſſis ſicca, et dolor ad claviculam et ſummum humeri dextri. Pleuritidem vel paraphrenitidem deſignant pulſus durus, tuſſis dolentiſſima, decubitus difficilis.

Attamen inter inteſtinorum inflammationem ſpaſmumque dignoſcere hic labor, hoc opus eſt. Pulſus non in enteritide, ut in aliis pleriſque morbis inflammatoriis, durus eſt et plenus; ſed illam comitantur languor inſignis, et pulſus debilis ac parvus; nihilominus celeriter adeo infauſto exitu terminatur, ut intra quindecim vel viginti horas aegri haud raro morti ſuccumbant. Ut in re tam difficili diagnoſis apta fiat, ſequentia caute notanda ſunt diſcrimina. Si in parte quadam abdominis, quam inteſtina tenent, dolor acutus, urens, fixus adſit, preſſu fere ſemper immaniter auctus; ſi pulſus celer ictu debili digitum explorantem feriat; ſi vomitio perpetuo aegrum vexet; ſi vires ſubito labaſcant; ſi denique, ingruente morbo, horror atque rigores adfuerint; jure forſan inde colligatur inteſtina inflammatione tentari.

Hernia, ſive umbilicalis ſive inguinalis, per ſe patet. Volvulus inteſtinorum perraro fit; neque, ut olim credebatur, cauſa morbi eſt, ſed potius ipſa morbi ſequela. Quandocunque ſuperveniat,

perveniat, eadem ſigna, quae in enteritide modo deſcripſi, prae ſe ferre ſolet, et mors ſemper eſt in procinctu.

PROGNOSIS.

FELIX qui advenientia praevidere, et in re incerta certi quid futurum pronunciare potuit! Nihil enim medici famam magis inluſtrat, quam prognoſis feliciter inſtituta. Pulchrum eſt liberis et amicis de aegro fauſta praedixiſſe; et, ubi omnia in pejus ruunt, haud minimi eſt momenti, ut aeger placida morte conquieſcat. Medicina quidem ars conjecturalis dicitur; attamen medici praeſtantiores, obſervatione ſedula edocti, plurima indicia detexerunt, quae morbum brevem aut longum, ſuperabilem aut invictum, praenunciant. Haud inficiandum eſt, quin conjecturae interdum fallant; ſed illae certe fidem habere debent, quae multo ſaepius, perque multo plures aegros, reſpondeant.

Nihil autem hic temere promittendum, ob varias ſaepe et plures conjunctas cauſas, et ſignorum quandoque fallaciam. Dolores inteſtinorum

ab morbi initio lenes, vagi, necnon interdum remittentes, musculorum abdominalium spasmi mites, alvus haud pertinaciter adstricta, sed cum magno aegri levamine respondens, cutis denique sudore tepido perfusa, spem futurae salutis arguunt. Mortem e contrario minitantur dolor pertinacissimus, fixus, absque ulla quiete perstans, alvus pertinacissime adstricta, vires subito labascentes, animi deliquia, subsultus tendinum, delirium, et gelidi, praesertim in fronte, sudores; surditas quoque et offusae oculis tenebrae, malum. Alvus interdum, vel sponte vel clysteribus adhibitis, absque signorum levamine solvitur; scilicet prodit tantum aut pars, aut totum stercoreum, quod infra locum, ubi causa proxima residet, haerebat. Interdum alvi dejectio mali ominis est, partibus gangraena laxatis.

Quinetiam vomitus stercoraceus pro certissimo lethi imminentis signo habetur; attamen historias quasdam probatae fidei autores * tradiderunt, quae aliam opinionem suadere videntur; atque

* Boneti Sepulchr. Anat. Lib. III. § 10. Ejusdem Med. Septentr. Tom. I. Lib. iii. § 15. c. 29. 30. 32. Garengéot. Acad. Reg. Chir. Parif. in 8. Edit. Tom. I. part iii. p. 355. De Haën Rat. Med. Vol. I. p. 87. Vol. III. p. 185.

que aegrum olim mihi vidiſſe contigit, poſtquam faeces ipſas per horas aliquot evomuiſſet, ad ſanitatem firmam feliciter reſtitutum. Quandocunque per plures dies morbus perſtiterit, opus eſt periculoſae plenum aleae. Omnia enim in canali alimentario diutius concluſa vel ſtimulo mechanico vel acrimonia valde irritent neceſſe eſt; unde oriatur inflammatio in gangraenam cito deſitura. Hanc terminationem indicant dolor acutiſſimus ſubito evaneſcens, horror, pulſuſque cum debilitate frequens. Huic malo jam nato nihil omnino ſpei arridet; praeſidii nihil ab arte capit, neque aliquid habet a natura ſolatii.

CONSILIA MEDENDI.

JAM vero ad infeſtiſſimi hujus mali curationem ordo nos perduxit. Colicae autem medetur,

I. Remediis, quae ſpaſmum tollunt, qualia ſunt

A. Antiſpaſmodica.

1. Interna.

2. Externa.

B. To-

B. Tonica.

C. Stimulantia.

II. Remediis, quae ventrem compressum solvunt, vel

A. Vi purgatrice, vel

B. Mole sua.

Quoniam colicae causae solis intestinis haerent, et ventriculus non nisi consensu laborat, *Emetica*, nonnullis equidem laudata remedia, minime propinanda sunt. Novimus ab inimica causa intestina vehementer constringi; dato autem emetico quid amabo! inde sperandum? Concussione validis hisce medicamentis excitata, interdum forsan materia irritans deorsum aliquanto urgeatur; at semper metus est, ne motu intestinorum praeternaturali aucto exacerbentur omnia; et aegri vires, spontaneo vomitu prius exantlatae, novis concussionibus oppressae omnino collabantur.

Imprimis autem, si aeger juvenis sit, robustus, firma valetudine ante Colicae adsultum usus, si dolor acutus intestina torqueat, et alvus dudum constipata fuerit, *Venaesectio* ante suadenda est, quam ulla alia imperentur remedia. Etenim summopere cavere decet, ne materia acris, intestina nimium stimulando, inflammationem inducat;

cat, quae, ut modo dixi, quam aliarum partium inflammatio, citius ad exitum infelicem properat. Neve semper pulsu parvo aut viribus subito solutis decipiamur; saepe enim, venae sectione rite instituta, omnia in melius reflectuntur. Multi equidem sanguinis missionem plane damnant; horum tamen sententia, quamvis centum linguis et voce ferrea resonaret, contra phaenomena practica nihil, me judice, valeret: ad summorum virorum experientiam provoco. Attamen sanguis haud temere detrahendus est, nec venae sectio iterum nisi caute admodum repetenda; semper vires aegri spectare oportet, quae in hoc morbo cito concidunt, amissae autem aegre restituuntur, esculentis omnibus, quae corpori alendo essent, iterata vomitione rejectis.

Sanguine e brachio, si opus fuerit, educto, ad alia protinus confugiendum est remedia. Interdum difficile judicatu erit, utri medendi consilio primo satisfacere oporteat; scilicet, anne motus abnormes compescere, an ventrem solvere, satius sit. Datur autem certum quoddam et utilissimum praeceptum, Majori necessitati subvenire. Si irritatio magis urgeat, quae spasmos tollant, sin obstructio fortior sit, quae alvum moveant, praemittenda sunt remedia; utraque

tamen

tamen indicatio ſaepe facili marte iiſdem perficitur.

I. ANTISPASMODICA motui inteſtinorum abnormi compeſcendo apprime inſerviunt. Horum optimum eſt *Succus Papaveris inſpiſſatus*, et prae aliis huic morbo adcommodatur, quod dolorem ingentem minuat, et totam ſimul corporis peripheriam ſudore leni perfundat. Quin Sydenhamus *, poſt ſanguinem liberius detractum, huic praecipue confiſus eſt, et eo uſque repetendum ſuadet, donec inteſtinis quies omnino inducatur. Quaenam ſit opii quantitas una vice exhibenda, pro ſignorum gravitate diverſa ſit neceſſe eſt; a parvula quantitate incipere, et eam, prout ſigna poſtulent, vel augere vel imminuere praeſtat. Opium ipſum in pilulas minuſculas confectum, quod mole ſua ſtomachum haud irritent, alii laudant; alii contra, Sydenhami aemuli, laudanum liquidum adhibere ſolent, quoniam totius ventriculi nervos uno quaſi adpulſu contingat, et vomitum confeſtim quandoque ſiſtat.

* Sydenham. Proceſſ. Integr. p. 603. 606. Edit. L. B. 1726. Vid. quoque Aretaeum de Cur. Morb. acut. Lib. II. cap. v. p. 106.

tat. Attamen ſummo ſtudio adnitendum eſt, ne alvum nimis ante clauſam impenſius opiata morentur; namque, hoc facto, ſummum remedium ſummum malum erit.

Propter hanc opii vim nocivam, qua alvum adſtrictam reddat; nonnulli remedium aliud narcoticum, *Hyoſcyamum* nempe, utile fore exiſtimarunt, quod gravi hoc incommodo careat. De uſu ejus nihil compertum habeo; ſed, ut mihi videtur, paullum inde commodi ſperandum. Vis hyoſcyami purgativa debilis eſt ac incerta; et catharticis, quae poſtæ dicentur, opio ipſi admiſtis, multo ſane tutius et felicius res agitur.

Camphora quoque, in morbis aliis ſpaſmodicis utiliſſimum quandoque remedium, colicae interdum mire profuit. Mulieris cujuſdam colica laborantis hiſtoriam refert Duteau, cui camphorae drachma una porrecta eſt. Dolor vehementiſſimus ilico obticuit; attamen, ait, propter ingentem medicamenti quantitatem algore eo uſque correpta eſt, ut vel mortuam referret, neque corpori calor ante rediit, quam veſtimentis calidioribus admotis, vinoque interne dato foveretur. Nihilominus haud abſimile eſt, quin modica ejuſdem quantitas, cum amygdalis aut ſpi-

ritus

ritus vini pauxillo contrita, quibusdam casibus gratum foret faustumque remedium.

Spiritus aethereus vitriolicus spasmos potenter admodum compescit, neque vi narcotica alvum adstringit. In Ephemeride Dom. Rozier *, animalibus colica adfectis suppetias tulisse dicitur. ‘ On trouve dans le Journal Encyclopédique du mois de Juillet 1783, tome 5. premiere partie, pag. 156. une lettre de M. le Marquis de Saint Vincent, sur l'usage donné de l'Ether vitriolique aux chevaux et aux betes à cornes attaqués de coliques violentes. La dose qu'il a employée étoit de cinquante a soixante gouttes avec du sucre pilé, en faisant avaler pardessus une certaine quantité d'eau pure.' Liquorem suum anodynum in colica laudavit Hoffmannus; hic autem, uti experimentis plurimis ostendit cl. Baumé, nihil aliud est quam spiritus aethereus vitriolicus cum spiritus vini rectificati portione duplici commistus. Hocce colicae remedium jam, ni fallor, in desuetudinem abiit; attamen aegro nimia mobilitate praedito illud propinare non dubitarem.

Moschum

* Journal de Physique A° 1784, part. I. p. 401.

Moſchum in colica Pictavienſi exhibendum ſuadet Hillarius; in ſingultu, et in hyſteria, quando inteſtina ſpaſmo torquentur, utilem eſſe novimus: Annon igitur in ileo, ceu colica graviori, vel ſolus vel opio conjunctus aeque prodeſſet?

Praeter interna, quorum praecipua huic morbo adcommodata memoravi, Antiſpaſmodica varia externa in uſum vocata fuerunt. Haec inter eminet *Balneum tepidum*. Neminem latet, quinam fuerit mos iſte Romanis helluonibus acceptus; impleti veteris Bacchi pinguiſque ferinae ad balnea ſemet receperunt; quo dolor a diſtentione ortus calore humido leniretur. Uſu autem jamdudum compertum eſt, aquam calidam in colica gratiſſimum eſſe remedium. Ægrotus ſeſe in balneum ad jugulum fere uſque demittat, vel in ſemicupio aliquandiu inſideat. Semicupium, ubi commode adhiberi poteſt, praecipue ſuaderem, atque aegro, quem ab uſu aurantiorum nimio colicam ſuſcepiſſe dixi, egregie profuit. Sin hoc minus conveniat, haud negligenda ſunt *Fomenta*: Ut ab his auxilii aliquod proveniat, ſumantur panni craſſi lanei, qui magnam liquidi copiam imbibere valeant; hi duplicati vel qua-

druplicati fomento calido immittantur, et abdomini ſaepius indies per ſemihoram adplicentur. Etenim, ſicut ureteris quando calculus ei impactus haeret, ita inteſtinorum ſpaſmos aqua tepida laxare ſolet. Dolor inde ſaepe miteſcit, calidusque ſudor optato prorumpit.

Attamen alio quoque conſilio balnea adhibentur. Neceſſe eſt, ut corpori, dum vita manet, fluida non deſint adplicanda; hic vero morbus exigit, ut copia tantummodo parca ore ſumantur, ne ſtomachus ad motus abnormes ſolicitetur; aeger inde prae ſiti languet, et faeces forſan, materia fluidiſſima reſorpta, inteſtina valdius irritant. Hiſce ſignis thermae ſubvenire ſolent; etenim vaſa patula, per totam corporis ſuperficiem hiantia, aliquantum etiam ab aëre ipſo, inter lavandum plurimum humoris reſorbere patet. Herbas emollientes ſive aromaticas, uti folia malvae aut abſinthii, ſambuci vel chamaemeli flores, aquae infundere idoneum erit; non quod exinde vis aliqua ſalutifera remedio accedat, ſed ne remedium incaute adhibeatur. Multi enim ſimplicia ſpernunt, nec niſi decepti ſanantur.

Poſt thermarum uſum ſomnus levis interdum obrepit, eo certius autem, ſi utres aqua calida

impleti,

impleti, vel lateres coquendo calefacti, plantis pedum adplicentur.

Sed, prout alios thermarum usu, ita aegros quoque *Aqua Frigida* sanatos fuisse, plurimi medici testantur. Amatus Lusitanus inquit, se atrocem intestinorum dolorem aquae frigidae exhibitione subito et incantamenti instar sustulisse. De Haën * aegrum sibi demandatum memorat, cui etiam ventri universo circumdata nix quondam in graviori paroxysmo profuerat. Attamen aegri cujusdam hac methodo feliciter sanati historiam longe adcuratius tradit Septalius †: 'Hominem ventris dolore ad omnia rebelli fere enectum, ut algidus sudor jam adesset, nullusque ultra percipiendus pulsus, aqua multa, etiam nive frigefacta, sic mutavit, ut mox in somnum quatuor horarum incideret, ab eoque somno alvum copiosissimam deponeret, et integrae restitueretur sanitati.' Etenim in Actis Edinensibus historia refertur, in qua prudens aquae gelidae adfusio ileum morbum, qui consuetae methodo, calidisque fomentis non obaudiverat, insperato sanavit. Eodem artificio colicam superari vidit

Sanctorius.

* Rat. Med. Vol. III. p. 93.

† Septal. Lib. VII. animadv. p. 248.

Sanctorius. Difficile dictu eſt, quanam potiſſimum ratione effectus tam felices frigus edat. Utut ſe res habeat, tale remedium imperare nollem, ne forſan aegrum ſub ipſa frigoris adplicatione mortuum ipſe jugulaſſe viderer. Sin unquam poſt alia fruſtra tentata remedia ad aquam frigidam confugiendum eſſet, (multa enim in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda,) hanc methodum, tetani curatione edoctus,* ſuaderem. Aegrotus e lecto tollatur, ventrique ejus aquae frigidiſſimae urcei aliquot adfundantur; in lectum protinus ſiccata cute reponatur; et opii largiori quantitate data ſudatio promoveatur: Etenim, quandocunque fauſte cedat anceps hoc remedium, ſudor calidus citiſſime prorumpit.

De *Veſicantium* actione variae fuerunt medicorum opiniones; non meum eſt litem componere; neque, ſi vellem, tale quid efficere me poſſe fateor. Dudum vero compertum eſt, veſicatorium ea vi pollere, quam antiſpaſmodicam nominaverunt autores. Inflammationi ſpaſmum ſubeſſe, pauci dubitant; et ad reſolvendam partis cujuſvis, uti lateris, inflammationem, remedium eſt

* Cel. Culleni Prim. Lin. paragr. 1280.

eſt catholicum: In aſthmate ſpaſmodico, ubi nulla adeſt inflammatio, tantundem ſaepe valet: Veſicantia igitur in colica ventri adplicare vel 'a priori' minime dubitarem. Jam vero multum laudare volo, ex quo experientia fida uſum illorum idoneum confirmaverit. Celſus * calida cataplaſmata admovere, eaque imponere a mammis uſque ad inguina et ſpinam, ac ſaepe mutare jubet. Sennertus † oleum ſaponis, quod ex ſapone et calce viva paratur per diſtillationem, ad colicam utiliſſimum eſſe putat, ſi liquoris hujuſce cauſtici guttae ſex vel ſeptem umbilico cum goſſypio imponantur. Vidimus, inquit Ballonius, cuidam, acerbitate doloris colici detento, placatos eſſe dolores, adhibito umbilico modico emplaſtro cauſtico. Japones ‡ moxam accenſam parti abdominis comburendae imponunt, vel acus argenteos aureoſve in carnes adigunt; in epigaſtrio anticolicam punctūram celebrant, et novem punctionibus pollicem diſtantibus figuram quadratam repraeſentant. Cucurbitulae quoque cum levibus inciſionibus, aut multa flamma,

a

* Celſ. Lib. IV. cap. 13.

† Sennert. Lib. III. part 2. Sect. II. cap. 2,

‡ Sauvages Noſolog. Tom. II. p. 104.

a quibusdam * medicis laudantur. Attamen et causticis et punctionibus longe praestant epispastica, regioni dextrae hypogastricae, vel circa ipsum umbilicum, adplicanda; et ad illa interdum tanquam ad sacram anchoram confugiendum est, simul ac sanguis detractus fuerit; eadem quoque, cum vires jacturam sanguinis perferre nequeunt, nonnunquam sola remedio sunt.

Vomitum interdum mire compescuerunt medicamenta regioni epigastricae adplicata. Emplastra de labdano cum granis opii quindecim, totidemque camphorae, admovit De Haën. Fomenta, ex caryophyllorum aliorumve aromatum in vino Lusitanico infusione, vomitum quandoque relevasse novi. Medico igitur, ne unquam officio suo deesse videatur, haec forsan imperare licebit.

TONICA interdum feliciter usurpari medicorum scripta docent. Aurum fulminans, quod tonicis metallicis (siquando pro medicamento jure habeatur) adnumerare decet, in colica a Germanis † exhibetur; at, si bene paratum est, nihil agit; non bene paratum morbum auget. Corticem

* Mead Monit. de Ileo.

† De Haën Rat. Med. Vol. III. p. 358. Edit. 1768.

Corticem Peruvianum quandoque profuiſſe dicit De Haën *; ſcpivit vomitum primum, deinde ileum. Baglivius infuſum chamomillae tanti fecit, ut aſſerere non dubitet, ‘ Antidotum Colicae eſt chamomilla, a quacunque demum cauſa oriatur †.’ Abſinthium quoque ex cereviſia infuſum apud vulgus uſitatum eſt. Attamen his et hujuſmodi medicamentis morbo venienti occurrere ſatius eſſe videtur; non expedite adeo graviora ſigna proſternuntur.

STIMULANTIA, qualia ſunt aqua mirabilis dicta, aquae aniſi vel cinnamomi ſtillatitiae, et ſpiritus vinoſi rectificati, leviori malo opis aliquid ſubinde tulerunt. Caute tamen exhibenda ſunt, ne crabrones tantum irritent, et inflammationem cum magno vitae diſcrimine inducendo ſint.

II. QUANDOCUNQUE doloribus alvi ſolutione ſuccurrendum, nullum remedium ipſis *Clyſteribus* commodius dari poſſe putem; alvum enim ſubducendo nullas corpori moleſtias faceſſunt, neque vires aegri proſternunt. Protinus itaque injici-

* De Haën Rat. Med. Vol. III. p. 93.

† Bagliv. Prax. Med. Lib. I. cap. de colica § 1.

injiciendum eſt enema ex aqua tepida, decocto communi, vel juſculis oleoſis confectum; haec enim, quantumvis mitia, alvum ſaepius abſque dolore ducunt, vel ſaltem, faeces duriores in colo impactas emolliendo, proſunt. Ut enemata acriora ſint, admiſcetur iis vel ſal marinus, vel ſal catharticus amarus; illum praecipue laudat ill. Cullenus, et ſaponem, in hoc morbo multum olim decantatum, eo tantum profuiſſe putat, quod ſalis aliquid admiſtum habeat. Sales vero rectum ipſum adeo interdum irritant, ut, ſtatim fere atque injecta fuerint, enemata iterum reddantur, neque cauſam mali deducant. Quandocunque ita ſe res habeant, alia medicamenta clyſteribus admiſcentur, qualia ſunt infuſum ſenae, infuſum ſemi-drachmae vel drachmae unius foliorum nicotianae, terebinthina vitello ovi rite ſubacta, vel tandem vinum antimoniale. Riverius autem oleum larga quantitate, ad libram unam uſque, injiciendum ſuadet, vel ſolum, vel cum althaeae, chamaemeli, aut ſeminum lini decoctis.

Quinetiam, dum haec aguntur, *remedia purgantia* ore ſumenda ſunt, modo nauſea mitis ſit, et vomitio nondum ſupervenerit. Ad hunc ſcopum adtingendum, ſalina et oleoſa praecipue

propi-

propinantur. Cryſtallos tartari caeteris pleriſque praeſtare docet ill. Cullenus, ſi ad ſemidrachmam vel drachmam unam cum mannae pauxillo exhibeantur. Doctiſſimus Heberden ſalem catharticum amarum apprime laudat, quod, parva quantitate ſubinde datus, alvum tandem copioſe ſolvat, neque ventriculum ingrate moveat. Ut remediis hiſce ſalinis vis major cathartica accedat, jalappa interdum admiſcetur, uti in pulvere Jalap. Compoſ. Ph. Edin. Ex oleoſis nullum tantum valet ac oleum ricini ab India Occidentali petitum, modo recens expreſſum adhibeatur; alias, praeſertim ſi incaute adſervatum fuerit, mutationes quaſdam ſponte ſubit, unde guſtui ingratiſſimum evadat. Oleum amygdalarum dulcium, et oleum lini ſine igne paratum, multum laudat De Haën. Sunt qui oleum omne genus nauſeantes reſpuunt; iis autem quandoque haud aegre conciliatur, ſi addatur vel tincturae ſenae compoſ. vel tincturae jalappae pauxillum; vel ſi, antequam ſumatur oleum, et iterum medicamento ſumpto, ſpiritu vini Gallici os abluatur. Hoc ſemper in votis eſt, ut omnia huic morbo medendo adcommodata guſtui fiant quam gratiſſima; quodcunque enim fauces imas ingrate adficit, vomitionem certo

G certius

certius excitare poteſt. Remediorum quoque formula ea eſſe debet, quae prae mole ſua ventriculum quam minime irritet: Ideoque Sydenhamus calomelas ad ſcrupulum unum exhiberi jubet, vel praemiſſis vel admiſtis ſimul anodynis, ut ſub alvi ſubductione leniatur dolor. Hanc medendi viam plures in re medica verſatiſſimi laudarunt. Sed mehercle medici eſt bene ante perpendere, quidnam utilitatis, quidnam detrimenti quoque, acre hujuſmodi remedium adferat, quam id exhibere audeat.

QUOD ſi, his omnibus incaſſum tentatis, morbus adhuc perſtet, remedia, quae vel pondere vel mole ſua obicem amoliri poſſint, in auxilium arceſſuntur. Vetus erat remedium aëre per follem immiſſo inteſtina diſtendere. Nicotianae fumum, clyſteris modo adplicatum, primus, ni fallor, in Philoſophia ſua Experimentali commendavit illuſtriſſimus Boyle. Varia excogitata fuerunt inſtrumenta, quorum actione iterata totus fere canalis ingrato fumo impleretur. Uſum illius feliciter admodum ceſſiſſe teſtantur Hoffmannus, Gaubius, et De Haën. Non raro tamen incaſſum tentatur, maxime quando aut cauſa plane invincibilis obtinet, aut nimis ſero ad hoc auxilium confugitur. Semper quoque periculum

eſt,

eſt, ne aër inteſtinis concluſus calore fumi magis extenuetur, et irritatio acris inflammatione facta morbum augeat, vel ſaltem vomitum intendat. Huic itaque longe praeſtat aqua tepida pleniore rivo, machinae clyſteriſantis ope, per anum injecta. Hanc, poſtquam per 18 dies alvus clauſa fuiſſet, aegroto cuidam opem tuliſſe refert De Haën; et ill. Cullenus, in praelectionibus ſuis, civis Edinenſis hiſtoriam narrat, qui, poſt omnia alia remedia fruſtra adhibita, aquae tepentis ope ad octo fere libras in inteſtina injectae feliciter reſtitutus eſt. Hic autem lente et caute agere oportet, ne inteſtinorum tunicae vi nimia diſtenſae diſſiliant, vel ſaltem anxietates ſummae oriantur, aegro vix ferendae.

Medici olim, eodem ſane conſilio, globulos plumbeos *, aureos, et argenteos, vel hydrargyrum cum oleo amygdalino, aegris imperabant; et eos, deglutitis hiſce remediis, ſtatim ambulare, curſitare, vel curſu per loca aſpera velocius moveri jubebant, ut deorſum urgerentur ponderoſa metalla. Hujuſce curationis multae extant apud Riverium, Sylvium, Hoffmannum, alioſque

* Helmontius ait, 'Nemo ilco perit, ſi globos ſclopetarios deglutiat.' De Flatib. § XXXI. p. 339.

que recentiores medicos hiſtoriae. Doverus mercurio tantam fidem habuit, ut Reginam Carolinam, quae colica periit, ſi mercurium ſumpſiſſet, duodecim horarum ſpatio convalituram adſeveraſſe. Mercurius duplicem hic uſum praeſtare illi viſus eſt; 'vel pondere ſuo inverſum inteſtinorum motum reſtituendo, vel lubricitate ſua excrementa alvum opplentia emolliendo, et deorſum propellendo*.' Fundamento nimium lubrico haecce theoria nititur. Concedatur enim copiam ſatis magnam, librae minimum pondo, in inteſtina deferri; in canali adeo flexuoſo metallum indiviſum per ſinuoſa volumina aegre moveretur, et ad imam tandem alicujus inteſtini partem delapſum reſideret pondus iners. At ex cadaverum inſpectione conſtat, in globulos tere ſemper mercurium diſpergi; unde vis ejus gravativa perit, neque aliquid exinde commodi amplius ſperandum. Globulos itaque et mercurium crudum prorſus abjiciendos eſſe putarem; 'ſaltem iis relinquendos, quibus nulla religio, nulla ingenii integritas.' Neque tamen difficile explicatu eſt, quonam modo mercurius interdum profuerit; hunc enim, mediante tritura, in pulverem

* Mead. Monit. de Ileo.

verem ſubtiliſſimum poſſe dividi, chemia docet, qui dein corpori humano ſtimulando idoneus fit. In inteſtinis muco cibiſque oppletis, hujuimodi mutatio perficitur, atque propter hanc vim novam, (in inteſtinis, ut ita dicam, enatam,) mercurium utilem fuiſſe crediderim. Æger quidam colica laborans hydrargyri uncias ſeptem aſſumpſerat; 'poſt triduum ſpontanea alvus, cum plurima veluti corroſi ac nigricantis mercurii parte *.'

HISCE remediis, quae, prout huic aut illi conſilio adcommodata, ſeorſum enumeravi, colicae plerumque medetur. Cujuſque erit, pro ingenii ſui acumine, ea ſeligere, quae in uno quovis aegro maxime idonea ſint. Hoc tantum notatum vellem, eo certius morbum debellari poſſe, quo plura horum apte diſpoſita ad liberandam rem publicam conſpirent. E. G. Ægrotus in balneo tepido per horam fere conſideat; in lectum reponatur; ſtatimque injiciatur enema ex aqua ſaccharata copioſum. Hoc re infecta reddito, aliud injiciatur ex decocti capitum papaverum

* De Haën Rat. Med. Vol. III. p. 380.

rum fortis unciis tribus vel quatuor, cum tincturae thebaicae guttis 40 vel 50 una admiſtis; ſtatim adplicetur emplaſtrum veſicatorium, acre, et amplum, abdomini; et ſimul cathartici alicujus fortioris portio major, vel (ne vomitus inducatur) minor pro re nata repetenda, exhibeatur. Quam primum dolorem ab emplaſtro natum aegrotus perſentiſcat, enema ſalinum cum oleo injiciatur; et remedii cathartici paullo ante adſumpti actio infuſo ſenae theiformi, ſolutione ſalium mediorum, vel oleo ricini epoto, promoveatur. Hac methodo alvi dejectiones ſaepiſſime prodierunt. Sin dolor nihilo ſecius cum obſtipatione perſtet, ad clyſmata acriora, vel aquae multae injectionem, confugiendum eſt: Poſtquam vomitiones ſtercoraceae ſupervenerint, haec et opiata * ſolo remedio ſunt.

PRO-

* De Haën Rat. Medendi, Vol. I. p. 184. edit. L. B. 1761. Id. Vol. III. p. 93. 94. L. B. 1768. Riverii Cent. I. N° 12.

PROPHYLAXIS.

QUEMADMODUM colica interdum curatu difficillima eſt, ita, niſi in auxilium remedia idonea ſolicitentur, fit facillime recidiva. Ut refectio igitur, medicamentorum ope inchoata, promoveatur, cauſarum morbi rationem habere oportet, ut praediſponentes quantum licet corrigantur, excitantes ſedulo omnino devitentur.

Si itaque a nimia inteſtinorum debilitate cum mobilitate conjuncta morbus oriatur, iis methodis inſiſtendum eſt, quae corpori firmando proſint. Imprimis autem id agendum eſt, ut aeger concoquat; cibis itaque eupeptis (illos volo, qui gratum ſtimulum praebendo viſcerum chylo efformando adcommodatorum juſtam actionem ciere poſſint) veſcatur; copia parciori illos adſumere praeſtat, ut ſe inde refectum, non vero gravatum, aeger ſentiat; dulcia omnia et opima, leguminaque, et quicquid inflare conſuevit, caute evitet. Vino optimo, ex maturiſſimis uvis juſto tempore confecto, fermentatione jam peracta, indies

indies utatur. Omnimodo cavendum eſt a frigore, praeſertim flante Borea; panno quoque laneo corpus totum inveſtire juvabit. Aër mediocriter calidus eligendus eſt; interdum utiliſſimum erit, mutato coelo, regiones alio ſub Sole calentes hyemali tempore adpetere. Hoc eo magis ſuadendum eſt, quod itineris ipſa longinquitas mire quandoque profuit. Alicui exercitationi ſemper ſe ipſe adſuefaciat aeger; vectiones in navi, rheda, praeſertim equo, inſtituendae ſunt; equo vehi caeteris omnibus multum praeſtat, cum in hac gymnaſticae ſpecie impetus fere omnis in ventrem inferiorem fiat. Nec ilico poſt prandium vel coenam pleno ventriculo exercendum, ne crudi adhuc cibi in inteſtina a ventriculo deſcendentes bella nova moveant. Haud inutile erit medicamentis quibuſdam uti, quae ventriculum, inteſtina, totumque demum corpus firmant, qualia ſunt amara, praecipue chamaemelum, cortex Peruvianus, chalybeata, et hujuſmodi alia. Interea omnes ſolicitudines et fortiora animi pathemata, uti terrorem, iram, triſtitiam, caveat, quippe quae concoctionem laedunt.

Sin ab alvo tardiore malum hocce proveniat, remedia quae eam leniter ſolvunt, tamarindi nempe,

nempe, aut medicamenta ſulphurata, ſubinde ſumenda ſunt. Haec autem a medico imperata nihil agunt, ſi officio ſuo aegrotus ipſe deſit; omnis enim ſanitatis cura hoc ſolo cardine praecipue verſatur, ut idonea victus ratione morbi praecaveantur. Huic quoque ſcopo inſerviunt balneum calidum, et modica exercitatio; neque ſomno nimis indulgendum; Williſius teſtatur ſe noſſe plures ventris conſtipationi obnoxios curatos fuiſſe, diluculo et hora prius adſueta citius lecto adſurgendo *.

Denique, ſi, vel ob morbos praegreſſos, vel dolores fixos, diuturniores, quibuſlibet injectis auctos, cauſa eſt cur ſcirrhum et anguſtationem inteſtinis adeſſe ſuſpicemur, non eſt in medico, ut curatio omnibus numeris abſolvatur. Jactatorum quidem turba inanis tales ſcirrhos ſe poſſe ſanare propalam profitentur: Medici tamen triſtes deplorant, morbos hujuſmodi vel in exterioribus natos difficillime ſanari; at in inteſtinis malum proculdubio longe curatu difficilius eſt. Quamvis autem ob imperfectam medicinam, quae ultra certos fines nihil valet, perfectae curationi non locus eſt, quoddam erit lenire mala quae

H prorſus

* Williſ. Pharm. Rat. § III. c. 1.

prorſus ſummovere nequeamus, atque dolores peſſimos praecavere. Huc praecipue ſpectant diaeta tenuis, humida, balnea tepida, et enemata ſubinde, prout res poſtulent, blandiſſima injicienda.

FINIS.